

eliditur: sed manens rigidus, durus, indomitus, æternis additus est pennis.

Cum sublatus fuerit, timebunt angeli: & territi purgabuntur. Hoc de primi sæculi temporibus dictum accipi potest, quantum sit malum superbiæ, jam tunc angeli sancti scire poterunt, quando præsumptor tyrannidis cæli arce dejectus est: Quando etiam pro eo merito quo in veritate, in qua ille non steterat, steterunt & in hoc beati facti esse credendi sunt, ut certissimi fierent nullius unquam peccati lapsus sibi esse metuendum. Igitur quod dictum est: quia sublato diabolo timebunt angeli, & territi purgabuntur: non sic intelligendum est, quod ad cavendum peccatum superbiæ, emendatioris futuri sint, territi tantæ damnationis exemplo: cum utique perspicuum sit, minimè eos beatos fore, si studendum eis sit cura impensiore ne peccent. Peccatum enim cavere, vel peccato resistere, ad penales hujus mundi miseras pertinet: non ad futuri sæculi gloriam. Hos autem arbitror intelligendum homines, qui ad consortium pervenerint angelorum, utpote quasi novi angeli, damnato diabolo territi purgabuntur: videntes qualem quantumque hostem, & hujuscemodi pœnas horrendæ damnationis evaserunt. Purgabuntur autem: id est, puriores Deo reddentur, tanta divini beneficii circa se consolatione perspecta. Id etiam quod dictum est, territi: vel quod scriptum est: timebunt: non abhorret à sensu, ut rationabilis videlicet creatura, omne beneficium atque omne iudicium creatoris sui, non cum pœnali, sed cum honorifico terrore miretur. Et revera quæ major purificatio sive purgatio poterit esse ante Deum, sicut angelicus hominis: quam ut semper cum exultatione, quia cui defertur pius est: & cum tremore, quia cui defertur Deus est: omne bonum certissimè securitatis suæ gloriæque perpetuæ ad laudem sui referat conditoris.

Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit: neque hasta, neque thorax. Alii verò manifestius transulerunt dicentes: Si occurrerit ei lanceæ, nihil facient ei: id est, nullis metallis terrorum ac increpationibus poterit emendari. In hasta autem & thorace possunt intelligi: qui iustitiæ lorica induti, dextera operibus sanctis armati conantur resistere. Ipsum verò punire sive expugnare non valebunt: quia tam fortis & malus est, ut adversantia contemnat, & converti minimè velit. Proinde quicquid est fortitudinis animorum in sanctis, ferri vocabulo appellatur. Quicquid etiam virtutum est, æris splendore, vel perennitate censetur.

Reputabit enim quasi paleas ferrum: & quasi lignum putridum, æs. Tanta enim se virtute superbiæ induit, ut hæc omnia arma adversum se suscepta pro nihilo pendat: & ipse potius operetur opera, palearum acervis similia & lignis infructuosus, & vetustis carieque fatiscens, quæ igne inextinguibili sunt urenda.

Non fugabit eum vir sagittarius. Cuilibet sanctorum quamvis pharetram cordis sui, increpationum sermonibus tanquam telis compungentibus plenam habeat, ab eis tamen hic durus & nimium ferreus penetrari non poterit. Et ideo non sentiens vulnera compunctionum, ab hoc tali sagittario non fugatur. Alii verò ita dixerunt: non vulnerat eum sagitta ærea. Verbum Dei incorruptibile, & permanens, sagittæ æræ comparatur, quo nunquam potuit diabolus ad pœnitentiam vulnerari: secundum duritiam cordis sui thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei.

In stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Funda potest intelligi quicumque sanctorum, qui manu Domini continentur. Per hos ergo sanctos suos, duos sermones, fortes & asperos velut lapides hunc impium validè jaculatur, ut eisdem percussus det honorem Deo: sed ille cum singularis malitiæ sit, eisdem sermones sibi convertit in stipulam: ut dum eos pro nihilo ducit, fiant ei velut stipula quæ & fumando globos tartarei ignis accendat. Quod alii eodem sensu dixerunt: æstimat lapides fundæ iactatos ut fœnum.

Quasi stipulam æstimabit malleum. Verbum nihilominus divinum grave scilicet, & forte contundens eum & atterens vastam duritiam impietatis ejus: ut à sanctorum insectatione tenuetur, pro stipula æstimabit: malitia namque obrutus non sentiet pondus tundentis desuper, quoniam cor ejus factum est sicut lapis, & sicut incus indomabilis: quæ nunquam, licet supra modum tusa, producitur.

Et deridebit vibrantem hastam. Sive ut alii dixerunt, tremementem sermonem: Validum cuiuslibet sancti ad se vigore animi ac virtute emissum, non solum non verebitur, verum etiam deridebit, vel eundem sermonem, vel etiam jaculantem. Hoc totum de diabolo, Deus diversis modis ac similitudinibus ideo dicit, ut demonstret hominibus quantum mali sit, & quam potens, & quam sit omnino irrevocabilis.

Sub ipso erunt radii solis, & sternet sibi aurum quasi lutum. Sol iustitiæ Christus Deus est: in cuius pennis est sanitas. Hi igitur radii: id est, sancti qui sunt filii lucis ejus, ab hoc principe tenebrarum, in prævaricatione Adam, peccato illius detinentur obnoxii: dum jam redemptos per Christum capitalibus criminibus, suos facit sibi que velut captivos & servos subdit, & subjugat. Possunt & illi angeli, quos secum diabolus traxit: de quibus in Apocalypsi dicitur: Et traxit secum tertiam partem stellarum in terram: hi radii solis intelligi, qui recedentes à Deo vero lumine, factæ sunt tenebræ, & principes tenebrarum. Hi ergo sub ipso sunt, quibus diabolus est rex & dominus. Aurum verò secundum hunc sensum quem diximus, ipsi sunt radii solis: quia sub nomine auri, pretiosi quique & mali intelliguntur: his sibi sternit quasi lutum, cum eos sibi subditos peccatis, sordidos & viles efficit. Dicuntur autem dracones in eis locis secretis, & terrarum abditis sinibus, vel maxime commorari, ubi metallum auri sit. Et ob hoc sub spirituali intelligentia: puto hanc metaphoram conservatam: eo quod hic draco furvus, de auro bonorum quos deiecerat sibi cubile sternat: quod est, omnes spirituales mundi hujus divitias: id est, bonorum hominum sanctitatem, iustitiam ceteraque virtutes, velut aurum sub se habebit, cum eos obdormientes in fide in lutum immensum redegerit peccatorum.

Fervefcere faciet quasi olla profundum maris: & ponet quasi cum unguenta bullium. Mare hoc seculum secundum allegoricos intellectus esse didicimus, quod est obscuritate sua, & nimia stultitiæ cæcitate tenebrosus: quod ita diabolus carnali accendit concupiscentia, ut ferveat ad amanda terrena. Si autem in bonam partem unguenta intellexerimus, ut gratias sanctorum ferventes hoc loco interpretemur, à contrario diabolus maris istius habitator id agit, ut quomodo spiritualium gratiarum amore, in Spiritu sancto fervescunt: ita ad amorem mundi istius homines præsentis vite desiderio quasi quibusdam succensionibus flammis ardescant. Alii dixerunt, fervescere facit abyssum, ut vas æneum æstimat sicut delictum, & tartarum abyssus sicut captivum. Hoc in loco arbitror, quod ita de diabolo Deus dixerit: quia de hoc mundo quasi abyssus nomine dicitur est ita diabolus: apud se definiens arbitratus sit, quod in recordationem omnino non veniat, quod de memoria divina deletus sit. Cujus impiissimum sensum in nono psalmo Propheta recolat, dicens: dixit enim in corde suo, non requiret. Item: que: dixit enim in corde suo, oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem. Tartarum quoque abyssus: id est, infernum, in quo mundi istius peccatores tenebuntur inclusi: ille velut captivum sub durissima videlicet dominatione, detrusum vinculis infernalibus detinebat. Exultans igitur, & lætabundus diabolus æstimabat, quod creaturam Dei sui omnem utique mundum, velut rex & Dominus esset perpetuo possessurus, nesciens à Domino Deo regi in æternum, & in seculum sæculi: perditis impiis gentibus de terra ejus, iudicatos pupillos & humiles defensos, ut non apponat ultra homo, id est, ipse diabolus, ut se magnificet super terram.

Post enim lucebit semita. Jam tunc respiciens quæret reverti ad Deum, quando ei tempus pœnitentiæ non erit. Et hanc puto conversionis ejus semitam dixerit, quæ obdurato corde & cæco fera pœnitentia illucescat: quando post acceptam ei minimè proderit.

Æstimabit abyssum quasi senescentem. Sive ut alii dixerunt, quasi deambulacrum. Abyssum diximus superius istum mundum, quem senescentem & inveteratum, in peccatis utique permanentem diabolus arbitratur, nesciens adventu Domini à peccatis veteribus liberandum.

Non est super terram potestas qua comparetur ei: Nulla creatura est tantæ potentæ, sive peccatrix creatura tantæ malitiæ: & ideo in utraque re nullus ei poterit comparari.

Qui factus est ut nullum timeret. Propria voluntate li-

beri arbitrii sui, in superbiæ elatus factus est: id est, ita sui malitia depravatus est, ut nullum timeret, nec ipsum Dominum Deum creatorem suum. Timet quidem ut malus servus, & prævaricator, sed non habet in se dilectionis Dei timorem.

Omne sublime videt. In sublime, inquit, atque in excelsum erigitur: id est, usque ad ipsius inæstimabilis superbiæ suæ apicem elevatur, ut blasphemus ponat in cælo os suum, dicens: Ponam in cælo thronum meum, & ero similis altissimo.

Ipsè est rex super universos filios superbiæ. Id est, caput & princeps omnium superborum, quem imitantur angeli, homines impii, & prævaricatores, facti sunt filii superbiæ ejus.

Caput XLII.

RESPONDENS autem Job Domino, dixit: Scio quia omnia potes. Id est, qui diabolum humilias, quomodo vis, & quando vis.

Et nulla te latet cogitatio. Scrutatorum cordis & renium latere quis poterit? Unde apparet sanctum Job ex his sermonibus quos Deo pœnitens confitetur, accusare cogitationes suas, quibus se meminit de iustitiæ suæ meritis sibi plurimum tribuisse: & Deo quasi rustico, notam iniquitatis objicere tentasse.

Quis est iste qui calat consilium absque scientia? Id est, nemo potest abscondere consilium à conscientia tua. Jam in consequentibus manifestissimè errorem suum demonstrat, & insipientiam confitetur, per quam ignorans ad Deum loquendum modum excefferit, ita dicens:

Ideo insipienter locutus sum: & que ultra modum exce-dunt scientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi. Jam nunc deposita insipientia, atque abjecta stultitiæ præsumptio, per notitiam increpationis divinæ ad emendationem correctus, & præsentis castigationis purgatus examine, Deum nihilominus audeat interrogare dicendo: Audi, clementiam divinæ indignationis ostendit: & hoc loqui videtur, quod illam plagam longè alio modo circa eum Deus operatus fuerit, quam ipse antea judicaret: & hinc est, quod se à Deo doceri cupit: sibi que ipsum deposcit ostendi. Accepto ergo Job, sicut ex sermonibus ejus credendum est, divinæ visitationis oraculo, ait ad Deum.

Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te. Post tentationis probationem, proximior factus divinæ cognitioni, dicit se jam Deum videre, quem antè dum examinaretur audisse se dixit. Audire autem Deum, vel videre, qui est invisibilis, & incomprehensibilis, non istorum est oculorum, vel istarum aurium, sed potius mentis & cordis. Propter quod beati sunt mundo corde homines, quo Deus videtur.

Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes: & ite ad servum meum Job, & offerite holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam: ut non vobis imputetur iustitia. Neque enim locuti estis coram me rectum: sicut servus meus Job. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Saites, & Sophar Naamatites: & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos. Quem locum alii dixerunt: Ideo desepi memetipsum & distabui, & æstimavi me terram & cinerem. Quod autem in injuriam sancti Job, amici ejus non rectè locuti fuerint, hic apertè Dominus eis imputante monstratur: unde ipse ait ad eos, quod peccatum illud exprobrationis eis remitti non possit, nisi beatus Job pro illis oraverit, & holocaustum propitiationis obtulerit. Ubi advertimus quod sacerdotis officio, beatus Job functus fuerit. Intelligatur hoc loco quod nulli expediat cum exultatione, & convicio coarguere in Dei castigatione ac tribulationum laboribus constitutum. Ait namque quod Job antè pro eis sacrificium offerentem, faciem ejus ad exaudiendum libenter suscepit. Et addit Dominus duplicia. In sequentibus quæritur sensus ejus, qui quemadmodum fuerit duplicatus, libri hujus scriptor diligenter enarrat. Fratres vero & sorores qui ad beatum Job post plagam castigationis ejus convenerant, omnes cognationes & familie generis ejus intelligentes sunt. Universi etiam noti & amici ejus, qui re-

galem potentiam ejus singularemque sapientiam prius noverant, venientes ad eum comederunt cum eo in convivio honoris ejus: in quo significatus est, ab eo omnium sordium squalor absterfus. In motu verò capitis, indicatam convenientiam ad eum lætiam noverimus: quique muneris gratia, velut inopi, & penitus nihil habenti dederunt oves singulas & inanes aureas singulas. In hac consolatione, & si parva & priorum bonorum duplicatione, animadverti potest quod grandis multitudo ad illum convenerit: qui cum à singulis parum acceperit, subito tantarum divitiarum factus sit dominus. Potuit hoc scriptor libri hujus, & per anticipationem dixisse, ut post tentationem illam per centum quadraginta annos vitæ suæ, benedicente Domino, cumulas in duplum divitias possideret: filiorum verò ejus duplicatum numerum non legimus. Unde arbitror quod cum ea, quæ omnino perierant, illa ei in duplum fuerint restituta, etiam filii ei viginti pro decem redditi sint. Hi enim ipsi decem primi quos ruina domus labentis oppræsserat: apud Deum non putantur extincti. Propter ædificationem itaque fidei nostræ, tantos ei filios à Deo redditos, quantos amiserat, sentiendum est: ut omni bonorum suorum substantia in duplum sibi à Domino redita, etiam filios in duplum habere se crederet: qui utpote fidelissimus Dei servus, minimè dubitare deberet eos quos ad Deum præmiserat non perisse. Sic ubi per totum hunc librum sanctum Job, figuram habuisse salvatoris perspeximus, donante gratia ejus, ut nobis largiri dignatus est exposuimus: & in quibusdam locis, amicos ejus significari hæreticos intelleximus, sicut etiam & illum Heliu gentilitatis habuisse imaginem, disseruimus. Sed quia per Christum impiorum atque errantium reconciliatio est: Non est enim aliud nomen sub cælo, in quo oportet salvos fieri: ideo extincta nunc gentilitate atque abolita, hæretici ad Christum à Deo patre mittuntur, ut per quem prius salvati fuerant, rursum lapsi per eundem mediatorum Deo reconcilientur. In holocausto vero septem taurorum & arietum: orationum atque elemosynarum satisfactio, superbiæ & iræ emundatio plenaria, atque perfecta per laborem atque innocentiam pœnitentia demonstratur. Quod autem ait:

Et suscepit Dominus faciem Job. Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Illud est quod ait Apostolus: Christus Jesus qui est in dextera Dei: qui etiam interpellat pro nobis: secundum Joannem, Apostolum, advocatus nosse est, & propitiatus apud patrem. Sic itaque facies salvatoris à patre suscipitur: dum & ipse exaudit, & exauditur.

Et addidit Dominus omnia quaecumque fuerant Job, duplicia. Illa igitur addita sunt Christo Domino & Deo nostro, cum populo Israel per fidem addita est gentium multitudo, & addetur in regno.

Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores sue: & cuncti qui noverant eum prius: & comederunt cum eo panem in domo ejus. Et moverunt super eum caput. Quod ait, venerunt: hoc est per fidem ei incorporati sunt, ut intra Ecclesiam in uno spiritu congregati, essent membra ejus omnes credentes in eum. Fratres autem & sorores dicuntur, omnis illa cognatio Judæorum populi: de quorum familia natus est Christus. Sive fratres & sorores generaliter omnium nationum multitudines intelligere possumus: eo quod de massa humani generis carnem assumpsit: per quam sibi ceteros fratres dignatus est facere: de quibus ait ad patrem: Narrabo nomen tuum fratribus meis: & in medio Ecclesiæ laudabo te. Et in Evangelio ait: Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic mihi & frater, & soror, & mater est. Et cuncti qui eum prius noverant, venerunt ad eum: ita & de eis sentiendum est: quia noverant eum prius omnes sancti & Prophetæ, qui eum utique videbant in spiritu: quem etiam in carne venturum annunciabant, sicut ipse Dominus dicit: Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ vos vidistis: & non viderunt; & audire quæ vos audistis, & non audierunt. Quem videbant autem in spiritu, præsentiam adventus ejus in carne videre desiderabant, sicut & sanctus Abraham, de quo ait Dominus: Abraham concupivit videre diem meum, & vidit, & gavisus est. Itaque prædicti sancti venerunt: quoniam habentes eundem spiritum fidei, prophetaverunt velut iusti ex fide viventes: & sacramentum incarnationis Christi futurum prævidentes in spiritu, in ipsam fidem Christi per eandem pœnitentiam venerunt: id est, ex fide in fidem, ut essent sub Christo capite unum, & ipsi in corpore Ecclesiæ constituti, ubi

jam resurrectione glorificato Christo, & ex passionis contumelia in honorem pristinum restituro, nunc in domo ejus Ecclesia, panem sacramentorum ejus comedunt omnes per fidem venientes ad eum. Cum ipso autem panem ideo comedere dicuntur, quia ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Sive quia ipse eorundem mysteriorum est consecrator, in quibus & ipsum benedictentem & consecrantem accipimus: quia ipse dixit: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: & verbum scripturarum panis est Christi, quo in domo salvatoris ecclesia pascentur: & exhortatione eorum reficiuntur quondam fide imopes: qui in hoc sæculo cum essent alieni à Deo, famem sermonis divini patiebantur: & cuncti qui cum prius noverant, venerunt ad eum: id est, qui eum noverant in terra, venite ad eum meruerunt in cælum. Et moverunt, inquit scriptura, super eo caput: exultantes videlicet, quod spiritualibus & factis Christi conviviis effecti essent participes: sicut Dominus ait in psalmo: Vota mea reddam coram vultu timentium eum: edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt dominum, & cetera requirunt eum.

Et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum. Salvatorem nostrum non mediocriter consolatur, qui passionem ejus, quam pro redemptione mundi suscepit, cum gaudio credit, & fideliter oculis fidei contuetur: ipse enim tali consolatione repletus est: qui cum vidisset turbam credentium, exultavit in spiritu, sicut sancto Evangelista scribente didicimus. Intulisse autem filio suo Deum patrem malum passionis & mortis: ita dicimus secundum Apostolum: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Super quod magnam sumimus consolationem, quod dabit nobis bona sua, qui mala nostra suscepit.

Et dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurum auream unam. Unusquisque per fidem ad Christum venientium, offert ei innocentiam suam, mentisque obedientiam. Quia & Apostolus ex peccatoribus sanctos effectos, ita vivere docet, dicens, Obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem. Sic itaque venientes ad Christum, efficiuntur oves dominicæ, oves sanctæ, oves illæ rationabiles, ascendentes de lavacro, geminos factus habentes, cum per obedientiam mandatorum Dei renatæ in Christo, innocentes & simplices operarii fuerint & fideles.

Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium: & sex millia camelorum: & mille juga boum: & mille asina. Principia Christi Dei, & Domini nostri, legis Moyse exordia esse significantur. Novissima verò ejus Evangelium esse monstratur. Unde Ecclesiastes ait: Meliora sunt novissima sermonis, quam initium ejus. Proinde meliora sunt mysteria Evangelii revelata in Christo, legis significationibus & figuris: meliora sacrificia cordium contritorum, quam holocaustomata pecudum. Melior manifestatio veritatis in Evangelio, quam allegoriarum umbra in veteri testamento. Sic itaque benedixit Dominus novissimis Job magis quam principio ejus: ut in utroque populo, Judæorum & gentium, gratia abundaret: quos populos secundum morum qualitates, quasi sub diversorum ani-

malium nominibus hæc scriptura voluit appellare. Quam verò significationem eadem animalium in se vocabula continent, in principio operis istius dixisse me meminisse. Duplicatum verò horum animalium numerum, propter utrumque populum puto: sive propter abundantiorum gratiam Evangelii, ut jam diximus, de qua Apostolus ait: Sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit, & ministros novi testamenti, non litera, sed spiritu: litera enim occidit: spiritus autem vivificat.

Et fuerunt ei septem filii & tres filie. Quod septem filios & tres filias refertur habuisse, gratiarum septenarius numerus indicatur, & legis prophetiæ, & gratiæ ut in principio hujus dixi. Quas pater earum moriens fecit coheredes fratrum suorum: id est, animas quas per spiritum gratiarum in testamento divinarum scripturarum incorporat, eas utique promissionum suarum facit esse participes. Earum quoque filiarum significanter nomina polita, magnum in se continent sacramentum.

Et vocavit nomen unius diem: & nomen secunde casta: & nomen tertia cornu sibi. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ, sicut filia Job in universa terra. Deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Vixit autem Job post flagella hæc centum quadraginta annis: & vidit filios suos, & filios filiorum suorum: usque ad quartam generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum. Dies ergo lex Dei est, quæ ad cognitionem veritatis, humane ignorantia noctem illuminat. Casta sanctæ unctionis est donum. Cornu sibi, competentissimè Evangelicis copiis Ecclesiæque divitiis coaptatur: quæ spiritualium rerum thesaurus est. Cornu verò ad insigne regium, & dignitatem Ecclesiæ pertinet: sicut ait Propheta: Exaltavit cornu Christi sui. Figuram ergo sanctus Job manifestè habuit salvatoris: & in hoc quod ex ditissimo egens & pauper factus est, ut nos locupletemur. Circa corpus ejus omnem potestatem suam diabolus exercuit: sed nihil profecit: sicut ipse Dominus ait: Veniet enim princeps mundi, & in nihil inveniet. Quemadmodum etiam beatus Job post damnium filiorum infidelium ditatus in filiis est: ita & Salvator post amissionem filiorum infidelium ditatus est in gentibus. Per multa ergo sanctus Job Domini nostri passionem quoque & patientiam figuravit, numero filiorum & filiarum nominibus, septiformem gratiam Spiritus sancti legis, & Prophetarum atque Evangelii in salvatorem nostrum plenitudinem portendebat futuram. In quo requievit spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilii & virtutis: spiritus scientiæ & pietatis, replevit eum spiritus timoris Dei, quod intelligendum est, plenus dierum. Tandem relevatus longæ explanationis onere, velut deposito gravi fæce respirans: ad te beatissime pater Vesteri, clausulam sermonis mei dirigo, petens ut si quid in hoc opere dignum probabili veritate perspexeris, etiam circa meam exiguitatem largissima Domini nostri dona mireris: obsecro ne aut amico favore permulceas, aut benevola excusatione defendas. Quia nolo eminentiam judicii tui à suæ dignitatis sublimitate dejicias, sed potius sic opusculum meum laudabile facias, dum incondita ejus corrigendo retractas, & perfecta emendatione castigas.

Commentariorum in Job finis.

COM.

COMMENTARIORUM HIERONYMI IN LAMENTATIONES JEREMIÆ AD EUSEBIUM. PROŒMIUM.

HABES in lamentationibus Jeremiæ quatuor alphabeta, & quibus duo prima quasi sapphico metro scripta sunt: quia tres versiculos qui sibi connexi sunt, & ab una tantum litera incipiunt, heroici coma concludit. Tertium verò alphabetum trimetro scriptum est: & à ternis literis, sed eisdem trini versus incipiunt. Quartum alphabetum simile est primo & secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum concludit alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur, ab eo loco ubi ait: Mulierem fortem quis inveniet? Quomodo autem in his nostris literis non potest quis ad legenda verba texendaque procedere, nisi prius ab elementis cœperit: ita in scripturis divinis non valeamus ea quæ majora sunt nosse: nisi ab ethica in ipsas habuerimus exordium, secundum illud quod Propheta dicit: A mandatis tuis intellexi. Quod videlicet post opera cœperit habere scientiam secretorum. Verum jam complendum est quod petisti, ut sensum uniuscujusque elementi interpretatio annexa significet. ALEPH, doctrina interpretatur: BETH, domus: GIMEL, plenitudo: DALETH, tabularum: HE, ista: VAU, & ZAIN, hæc: HETH, vita: THET, bonum: JOD, principium: CAPH, manus: LAMED, disciplina, sive cordis: MEM, ex ipsis: NUN, sempiternum: SAMECH, adjutorium: AIN, fons, sive oculus: PHE, os, ab ore, non ab ossè: ZADIK, justitiæ: COPH, vocatio: RES, capitis: SIN, dentium: THAU, signa. Ecce intellige, ne literarum ambiguitate fallaris. Post interpretationem elementorum, intelligentiæ ordo dicendus est. Aleph, Beth, Gimel, Daleth: prima connexio est: doctrina domus, plenitudo tabularum: quod videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperitur plenitudine divinarum. Secunda connexio est, He, Vau, Zain, Heth: ista & hæc vita. Quæ enim alia potest esse vita sine scientia scripturarum: per quam etiam ipse Christus cognoscitur, qui est vita credentium? Tertia connexio habet, Teth, Jod: bonum principium: quia quamvis nunc sciamus universa quæ scripta sunt: tamen ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: & nunc per speculum videmus in ænigmatibus. Cum autem meruerimus esse cum Christo, & similes angelis fuerimus: tunc librorum doctrina cessabit. Quarta connexio est, Caph, Lamed: manus cordis, sive disciplina. Manus intelliguntur in opere: cor & disciplina interpretantur in sensu, quia nihil facere possumus, nisi quæ prius facienda sint fecerimus. Quinta connexio est, Mem, Nun, Samech: ex ipsis sempiternum adjutorium. Hoc explanatione non indiget: sed omni luce manifestius est, scripturis aeterna subsidia ministrari. Sexta connexio habet, Ain, Phe, Sade: fons sive oculus oris justitiæ, secundum illud quod in tertio numero exposuimus. Septima connexio est, quæ & extrema: quo & in ipso quoque septenario numero sit mysticus intellectus, Coph, Res, Sin, Thau: vocatio capitis dentium signa. Per dentes articulata vox promitur, & his signis ad caput omnium, qui est Christus, itur: per quem venit ad regnum sempiternum. Verum hæc idcirco inseruimus, ut instruant lectorem: quo sciat non frustra juxta seriem literarum à Propheta hæc esse edita: sed universa quæ scripta sunt, ad Christi & Ecclesiæ pertinere sacramenta. Quod enim lamentationes prædictæ, non solum super urbis Jerusalem vastatione & Judaici populi captivitate: sed etiam super Josiæ regis occisum conscriptæ sint: liber verborum dierum demonstrat, ubi ita legitur: Mortuus est rex Josias, & sepultus in mausoleo patrum suorum, & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maximè cujus omnes cantores atque cantatrices usque in præsentem diem, lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel. Unde primum juxta historiam in explanatione reteximus. Deinde allegoriam per congrua loca: sive ad Josiam, qui interpretatur salus Domini, vel fortitudo Domini: sive ad Judæos, hoc est confitentes pertinent, inseremus. Opportunius ergo multo nunc à nobis, quam tunc à Propheta Dei lamentatur: licet non urbes multæ, non gens integra, sed anima hominis Christiani multis gentibus nobilior multisque urbibus pretiosior. Nam servus qui facit voluntatem Dei, melior est quam multitudo iniquorum. Melior erat anima quondam fidelis in qua Deus inhabitabat, quam

Tom. V.

Ecc